



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

80. Fer. 4. Septem pavores Christi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*Feria 4. Dom. 1. Quadrag. 131*

ne Barabbæ postposuerit: hic mihi videbatur cor scindi: nescit, nisi qui probat, quid sit recipere mala ab eo, cui benefecerit. O quam durum est, ut innocens à toto populo audiat, Moriatur: & dignus mille mortibus voce populi totius gratiam recipiat!

MEDITATIO LXX.

*Feria 4. Dom. 1. Quadrag.*

*Septem pavores Christi.*

**A**spiciam Dominum angustijs undique coarctatum, lemuribus undiq; circumvolitantibus, & contra Dominum se animantibus. Petam Domino compati agnitio pavoris causis.

*Conf. 1.* Quomodo fugiant omnia naturaliter non existere, quæ causa fuit pavoris Domini, crescebatque, quò magis agnoscebat summam peccatorum indignitatem, qui summè amabat honorem Patris, & Majestatem. Accessit septena pavoris causa, orta *1.* ex agnitione, ut ipse Dominus conqueritur *S. Brigit. l. 1. c. 41.* quòd Clerus potestate abutatur, essetque abusus.

*2.* De laicis, quòd non servent fidem, nec servaturi.

*3.* A Iudeis, quòd nō credant, nec credituri.

*4.* A Paganis, quòd colant creaturas, **DE**  
**obliti,**

**H**

**AD**



132 FERIA 4. DOM. 1. QUADRAG.

5. Ab amicis, futuris in medio malorum, quorum os & opera lancinabunt mali.

6. Ab eo, quod Christus habendus pro inhonesto, quia suaderet honestatem. l. I. c. 46.

7. Quod habendus pro vilissimo: nihil enim homines tam modicum habent, quod non diligant præter Deū. de omnibus dolent, præter quā de Deo, Quid vilius cane? & sunt, qui potius me abjurarent, quā cane carerent. Impediam hos dolores Christi in me, & alijs.

MEDITATIO LXXXI.

FERIA 5. DOM. 1. QUADRAG.

Septena mœstitia Christi.

**A**spiciam Dominum nos è tenebris inferni per dolorosam Passionem ad diem lucis perpetuæ pariturum, ideoque gravius angere propter imminentem Passionem. Petam agnoscere mœstitiam Christi septenam, eique compari.

*Conf. 1.* Causam mœroris Christi è D. Chrylost. ne phantasma putaretur: ex Origene: ut veram carnē habere comprobaretur. ex Theophyl. quia naturaliter invitum tendimus ad mortem. ex D. Brigitt. l. I. c. 39. Domino revelante, quod sicut in omnibus membris peccavit homo, sic in omnibus passurus erat Christus, cuius Passionis septē puncta recenset.

1. Caro mea pressa quasi in cocleari, crines extensi, nervi distincti.

2. Iun-